DE
STATU PLEBEJORUM ROMANORUM
ANTE PRIMAM IN MONTEM SACRUM SECESSIONEM
QUAESTIONES.

DISSERTATIO ACADEMICA

QUAM

VENIA AMPLISS. FACULT. PHILOS. UPS.

PRO GRADU PHILOSOPHICO

P. P.

JOANNES WALLINDER
NAT. VESTROG.

IN AUDITORIO PHILOS. SUPER. A. D. XI KAL. IUN. MDCCCLX.

H. P. M. S.

UPSALIAE
TYPIS DESCRIPSIT ACAD. TYPOGRAPHUS.
MDCCCLX.

De statu Plebejorum Romanorum ante primam in montem Sacrum secessionem.

Inter omnes, qui res Romanas ejus aetatis pertractaverunt, constat profecto, alteram partem, eandemque maximam, civitatis non multo post reges exactos in miserrima atque intolerabili conditione fuisse. Hujus conditionis multae sine dubio sunt causae, quarum investigatio propter vetustatem et caliginem temporum perdifficilis est. Nos enim putamus, originem ipsam et quasi fontem ejus mali, quo diu vehementerque Plebeji laborabant, magnam ad partem in primo ipsorum ortu atque in republica statu esse quaerenda. Quod quo facilius appareat, afferamus necesse est, quid maxime nobis probabile videatur de hac quaestione, cujus explicatio ad res domesticas et intestinas Romanorum recte judicandas valde est necessaria.

Veteres rerum Romanarum scriptores, omni diligentiore deliberatione de hac re omissa, in eo consentiunt omnes, usque ab antiquissimis temporibus et Patricios et Plebejos cives regni Romani fuisse, neque iis in mentem venit quaerere, num utrique eandem ab initio habuerint originem. Iis autem non temere esse assentiendum, intellexerunt hoc tempore multi antiquitatis diligentissimi et subtilissimi investigatores, quorum de hac re sententia maxime est digna, quae etiam atque etiam perpendatur.

Putat *Niebuhrius* [1]), quem sequuntur *Schwegler* [2]), *Peter* [3]), *Langeus* [4]) aliique [5]), optimis, ut nobis videtur, rationibus, Patricios, quo nomine postea appellati sunt, primo regni Romani ortu cives, propria huic vocabulo significatione subjecta, solos fuisse, magnamque illam hominum multitudinem, quam Plebejorum nomine complectimur, ex alienigenis et peregrinis exortam, variis modis in potestatem Romanorum venisse.

Habet profecto haec sententia magnam veri similitudinem, et cum iis, quae de Plebejorum statu et conditione tradita sunt, optime congruit. Si enim Plebeji ex eadem, qua Patricii. origine profecti fuissent, vix exstitisset tanta inter eos in maximis rebus dissimilitudo, non facile tamdiu viguissent tanta discordia atque ingeneratum quoddam odium, quibus saepe totam rempublicam prope evertere videbantur. Credibile igitur est, a Romanis jam antiquissimis temporibus peregrinos, bello devictos, in civitatem acceptos fuisse, et jure dicere possumus, ex finitimis populis complures, quum armis Romanorum resistere non possent, bellis perpetuis finem afferre cupientes, sua sponte se ad eorum societatem applicasse posteaque in tutelam eorum venisse. Jam Ancum regem tali modo imperium dilatasse, Livium [6]) et Ciceronem [7]) auctores habemus, et verisimillimum est, hunc morem a majoribus fuisse acceptum [8]).

---

1) Vorträge über Römische Geschichte I. p. 168 seqq.

2) Römische Geschichte I. p. 628 seqq.

3) Geschichte Roms I. p. 71 seqq.

4) Röm. Alterthümer I. p. 301 seqq.

5) Inter quos nominandus est *Puchta,* Cursus der Institutionen I. p. 147 seqq.

Cfr etiam *Mommsen.* Röm. Gesch. I. p. 77 seqq.

6) I. 33. 7) de Rep. 2, 18, 33: Qui (Ancus Marcius) quum Latinos bello devicisset, ascivit eos in civitatem.

8) Cfr Livii de asylo illo Romuli narrationem (1, 8).

Si res ita se habet [1]), facile intelligere possumus, quibus de causis factum sit, ut tanta esset inter Patricios et Plebejos juris dissimilitudo, ut hi ab illis eodem fere loco, quo peregrini, haberentur. Quod quo facilius appareat, quaerere libet, qui fuerit antiquis temporibus universus Plebejorum in republica status, quae quidem quaestio eo magis est necessaria, quia cum ea re, quam nobis proposuimus, conjuncta est et arctissime cohaeret.

Erant Plebeji liberi homines neque alius cujusquam imperio subjecti ob eamque rem ipsi sine patrono in judicio adesse atque causam suam agere poterant [2]). Sed ante omnia est observandum, eos, in civitatem acceptos, quum omnino peregrini essent, non in eandem, qua erant veteres cives, conditionem venisse. Ita enim jam ab initio respublica Romana erat constituta, ut in juris aequabilitatem tanta, quanta plebs erat, multitudo, quin ipsa hujus constitutionis forma mutaretur, accipi non posset [3]). Credibile igitur est, Plebejos antiquissimis temporibus a Patriciis eorumque curiis omnino remotos atque exclusos fuisse [4]). Participes erant civitatis, id est, cives erant, sed non optimo jure, ut dicitur, vel optima lege, conditione [5]),

---

1) Aliam de Plebejorum ortu sententiam habet *Dionysius Halicarn.* (2, 8), cui quae fides in hac re sit habenda, ostendit *Schwegler*, R G. I. p. 101 seqq..

Cfr Liv. 1, 8. Cic. de Rep. 2, 12, 23.

2) Vide *Langeum*, R. Alt. I. p. 303, *Schweglerum*, R. G. I. p. 620 Hac re, sicut aliis multis, Plebeji differunt a *Clientibus*, de quibus egregie disputat idem *Langeus* I. p. 183 seqq. *Schwegler*, R. G. I. p. 639 —645. *Peter*, R. G. I. p. 70.

3) Cfr *Puchtam*, Curs. d. Inst. I. p. 148.

4) Putat *Dionysius* (2, 7), totam multitudinem', et Patricios et Plebejos, a Romulo in tribus curiasque fuisse descriptam. Quod quam sit verisimile, vide *Schwegler*. R. G. I. p. 623 seqq. Cfr *Peter*. R. G. I. p. 71.

5) Nempe ea conditione, quae plenissimum jus alicujus rei affert, quae, ut hodie dicunt, cum omnibus privilegiis et praerogativis conjuncta est. *Ernest.* clav. Cicer. p. 586.

vel, quod idem est, jure suffragii carebant [1]). Neque a veritate abhorrere videtur, id quod etiam ex locis quibusdam apud veteres auctores [2]) quodammodo conjicere possumus, Plebejos, si non omnes, at certe plurimos, etiam cum in civitatem Romanam asciti fuissent, ruri permansisse, ibique coluisse agros, quorum ipsi plerumque erant possessores [3]). Quamobrem quod scribit Livius [4]), Ancum Marcium multa millia Latinorum in urbem traduxisse, id non ita est accipiendum, ut fidem historicam habeat. Aventinus enim mons, ubi his novis civibus sedes datae fuisse dicuntur, centum amplius post annos, Dionysio Halicarnasseo auctore [5]), nondum, ut alia multa praetereamus, totus habitabatur, sed silvosus erat et publicus ob eamque rem plebi urbanae aedificandus concedebatur.

Sed, ut ad rem redeamus, si brevi praecidere volumus, merito nobis dicere posse videmur, Plebejos antiquissimis temporibus ex civitate nulla fere alia percepisse commoda, quam quae in libere agendi, possidendi, emendi, vendendique jure contineantur. Nam a reipublicae gubernatione omnino exclusi erant. Atque in iis, quae ad hanc rem pertinebant, quam iniqua sorte laboraverint, ex eo vel maxime videtur, quod, antiquis temporibus, ne sacra quidem publica [6])

1) Vide *Langeum*, R. Alt. I. p. 302. Cfr etiam *Schwegler*. (R. G. I. p. 621), quo auctore (II. p. 316) pleno jure civitas haec quatuor praecipue complectebatur: 1:o) Jus suffragii, 2:o) jus honorum, 3:o) jus commercii, 4:o) jus connubii.

2) *Dionys.* 2, 9: *Τοὺς δὲ δημοτικοὺς — γεωργεῖν καὶ κτηνοτροφεῖν (ὁ Ῥωμύλος ἐνομοθέτει).* Cfr 7, 58. *Varro* R. R. 2. Praef. 1. *Macrob.* 1, 16, 34: Rutilius scribit, Romanos instituisse Nundinas, ut octo quidem diebus in agris rustici opus facerent, nono autem die intermisso rure ad mercatum legesque accipiendas Romam venirent.

3) Cfr Liv. 2, 23, 24. 4) 1, 33.

5) 10, 31: *οὐχ ἅπας τότε* (anno circiter 298 A. U. C.) *ᾤκητο, ἀλλ' ἦν δημόσιός τε καὶ ὕλης ἀνάπλεως.*

6) Publica sacra sunt, ut dicit *Festus* (p. 245, ed. *Mueller*), quae

cum Patriciis communia habuerunt. Erant enim haec sacra omnia penes Patricios [1]), quorum in Plebejos potentia et auctoritas maximam ad partem in jure sacrorum positae erant, ac nescio an nulla magis res Plebejis, quo minus ad tolerabiliores in republica conditiones melioremque fortunam pervenirent, obstiterit. Talis enim jam ab initio erat conformatio reipublicae Romanae, ut prope a diis ipsis quasi profecta putaretur [2]), neque alium populum, qui magis omnia ad Deos referre consueverit, facile inveneris. Putabatur, ut jam diximus, tota respublica Romana divinitus esse constituta, quo fiebat, ut omnes vetera instituta immutandi conatus ab iis, qui in republica plurimum valebant, non modo aegre et moleste ferrentur, sed etiam impii et scelesti saepe haberentur [3]). Videbatur enim omnis fere ejusmodi conatus ex nefaria quadam operibus deorum immortalium eorumque administrationi se interponendi cupiditate esse profectus, neque id mirum est in populo, qui omnia, quaecunque agebantur, sive ad publicam vitam sive ad privatam pertinebant, ad certam quandam rerum

---

publico sumptu pro populo fiunt, quaeque pro montibus, pagis, curis, sacellis.

1) *Liv.* 10, 7: Deorum magis quam nostra causa expetamus (Plebejorum nomine loquitur P. Decius), ut, quos privatim colimus, publice colamus.

2) Cfr *Cic.* Tusc. 4, 1, 1, de Nat. D. 3, 2, 5, de Rep. 2, 10, 17. *Dionys.* 2, 4, 6.

Per Auspicia imprimis, quae penes Patricios erant (Liv. 6, 41, et passim) deorum voluntas cognoscebatur, neque ulla res, quae quidem majoris esset momenti, nisi auspicato geri poterat. — Urbem auspicato conditam esse, narrant innumerabilibus fere locis veteres rerum Romanarum scriptores (*Cic.* de Rep. 2, 9, 16, de Leg. 2, 13, 33, cet. Liv. 5, 52). Romulum ipsum, certis signis a diis per auspicia acceptis, regem declaratum fuisse, narrat *Dionys.* (2, 6), quod idem de omnibus Romuli in civitate institutis dici potest.

3) Cfr *Rubino.* Röm. Verf. und Gesch. I. p. 189.

Quomodo Tarquinius, non violato jure, ejici posset, ostendit Livius 1, 39. Cfr *Rubino.* I. p. 97.

divinarum normam conformare et cum deorum cultu arctissime quasi connectere solebat. Quamobrem Patricii, non sua modo, sed etiam deorum causa Plebejis, cum juris aequabilitatem appeterent, resistere se et posse et debere putabant [1]).

Ex iis, quae de Plebejorum in republica statu jam summatim diximus, patet, antiquissimis temporibus fuisse eos eodem fere jure, quo erant ii *municipes*, *qui* (Pauli Diaconi [2]) verbis utimur) *ex aliis civitatibus Romam venissent, quibus non licebat magistratum capere, sed tantum muneris partem, ut fuerunt Cumani, Acerrani, Atellani, qui et cives Romani erant, et in legione merebant, sed dignitates non capiebant.*

Quae quum ita sint, quis est quin videat, Plebejos, nullo adhuc legum praesidio contra potentiorum gravem atque saepe intolerabilem arrogantiam munitos, in summas miserias et maximas angustias facile adduci posse. Quid enim faceret misera illa et humilis multitudo, quae sine dubio superstitiosa sollicitudine, ut saepe solet, credebat, diis se, non hominibus, fortunam suam debere, et, id quod certe ab initio aetatis saepe audiverat, iisdem diis gratum esse, sua quemque sorte se contentum praebere. Patricios autem semper in jure suo, ut certe ipsi putabant, defendendo ex mala mente et turpi consilio egisse, nos quidem minime contendere audemus. Exi-

---

1) Vociferabantur consules, C. Canuleji illam de connubio patrum et plebis rogationem, colluvionem gentium, perturbationem auspiciorum publicorum privatorumque afferre (*Liv.* 4, 2), ideoque, dicebant, decemviros connubium diremisse, ne incerta prole auspicia turbarentur (*Liv.* 4, 6). Nefas ajunt esse, consulem plebejum fieri (*Liv.* 4, 3), quod nemo plebejus auspicia haberet (*Liv.* 4, 6), quae ad Plebejos transferre nefas, i. e. quasi violatio quaedam juris divini, erat (*Liv.* 7, 6. *Lange.* R. A. I. p. 211). Cfr *Liv.* 10, 6.

Ex permagna exemplorum multitudine haec pauca attulisse, satis sit.

2) *Festus* p. 131 (ed. *Mueller*).

stimamus ex contrario, eos, religione obstrictos, operam dedisse, ut tuerentur quae recta ac paene sancta haberent.

In hoc statu [1]), qui iniquus jure appellari potest, Plebeji vitam satis tranquille placideque traducebant tamdiu, dum reges rempublicam Romanam gubernabant. Neque omnino ullae tum injuriae Plebejis a Patriciis inferebantur, seseque suarum rerum finibus utrique continebant. Et genus ipsum civitatis regale sua natura id spectat, ut suum cuique tribuatur, et plerumque cavet, ne jura civium, quocunque loco nati sunt, violentur. Reges Romanos, ne illo quidem excepto, qui *Superbi* cognomine est appellatus, humaniter omnino et clementer plebem tractasse, ex multis rebus satis luculenter apparet [2]). Neque id sine causa fecerunt. Credibile enim est, Patricios jam ab initio omnibus viribus in eo elaborasse, ut potestatem suam quam maxime augerent [3]), ob eamque rem probabile videtur, reges non neglexisse, amorem sibi conciliare a Plebejis, quorum opera et auxilio Patriciis, ne arrogantiores fierent, resistere possent.

Inter reges, qui Plebejorum rebus maxime favisse videntur, primum locum suo jure tenet Servius

---

1) Monendum semel putamus, ne quis credat, nos contendere velle, Plebejos antiquissimis temporibus *omnes*, nullo excepto, in miserabili conditione fuisse, Patriciosque solos divitiis excelluisse. Loquimur de universo ordine Plebejorum, inter quos etiam divites homines sine dubio erant. Cfr *Cic.* de Rep. 2, 34, 59: — nec pecuniis ferme superiores (erant Patricii). Cfr etiam quae supra diximus.

2) Vide *Liv.* 2, 5: Diripienda (bona Tarquiniorum) plebi sunt data, ut contacta regia praeda spem in perpetuum cum his pacis amitteret. Cfr etiam cap. 9 ejusdem libri.

3) Etsi famae illi perobscurae, Romulum »*discerptum patrum manibus*« fuisse, non sane est credendum, tamen eadem quodammodo significat, qui omnino fuerit in reges animus patrum.

Liv. 1, 16, 17. *Dionys.* 2, 56.

Tullius, quem hoc loco ob eam praecipue causam nominamus, quod primus, ut memoriae proditum est, divitiarum, non generis, ratione habita, immensum illud inter Patricios et Plebejos intervallum quodam modo removisse merito dici potest [1]).

Sed, etiam si Servius illud ad civitatem firmandam corroberandamque egregium opus perfecisse nec, ut nonnulli [2]) credunt, inchoatum reliquisse putandus est, tamen liquet, id quod etiam in ipsa rerum natura positum esse videtur, non nisi lente et tarde duas tam inter se alienas et diversas gentes in populi unius corpus coalescere potuisse. Hoc idem Romae factum esse, intelligere possumus ex eo, quod aliquot seculis post Patricios et Plebejos, hostium fere more, summa contentione inter se certantes invenimus [3]). Quamquam igitur Servii Tullii beneficio, ut traditum est, in centuriatis [4]) comitiis, quae vocantur, jus suffragii datum esset Plebejis, tamen nihilo minus, antiquis praesertim temporibus, multo erant Patriciis in civilibus rebus inferiores. Nam primum verisimillimum est — neque enim quicquam in tam obscura re pro certo statui potest — Patricios etiam in iis comitiis, ubi una cum Plebejis ferebant suffragia, plurimum valuisse. Erant enim sine dubio pro se quisque divitiis unicuique Plebejorum omnino pares, plerisque superiores [5]). Deinde constat,

---

1) *Peter*, G. R. I. p. 47 seqq. *Schwegler*, R. G. I. p. 733 seqq.

2) Vide *Schwegler*. R. G. I. p. 739. *Peter*. G. R. I. p. 76.

3) Cfr quae supra attulimus.

4) Haec comitia principio nihil aliud nisi institutionem quandam militarem fuisse, credibile est. Vide *Schwegler*. R. G. I. p. 755. *Mommsen*. R. G. I. p. 84.

5) Putat *Peter* (G. R. I. p. 75), Patricios in equitum centurias aut certe in primam civium classem omnes fuisse adscriptos. Eos autem propter paucitatem, nisi ab iis Plebejis, qui opibus et auctoritate praestarent, adjuti fuissent, plurimum valere in comitiis non potuisse, per se liquet. Cfr *Schwegler*. R. G. I. p. 624 seqq.

dum reges gubernacula reipublicae tractabant, comitia ista parum omnino in publicorum negotiorum procurationem momenti habuisse. Dicit quidem Dionysius [1]), jam Romulum haec tria plebi concessisse: *Magistratus creare*, *leges sancire*, *de bello*, *si rex permisisset*, *decernere*; plebem autem hanc potestatem omnem antiquis temporibus re vera non habuisse, ostendit *Rubino*, qui subtilissime de ea re disputat [2]). Reges enim Romanorum, maxima ac paene singulari potestate [3]) fuisse ornatos, quis est qui nesciat? Quamvis igitur populus nonnumquam de rebus quibusdam consuleretur, tamen plurima per reges ipsos gerebantur. Magnam auctoritatem etiam senatum saepe habuisse, certe negari non potest. Senatores autem, quos reges, ut sibi consilio adessent, ipsi delegisse videntur [4]), omnes e patricia gente erant [5]).

Quibus ex omnibus, ut nobis quidem videtur, facile apparet, Plebejos omnino in publicis rebus, si non prorsus nihil, at certe parum antiquis imperii Romani temporibus valuisse, eorumque in republica statum post reges exactos [6]) non meliorem factum esse, optimo jure nobis contendere posse videmur. Dicit enim Livius [7]) *libertatis* — si hoc no-

---

1) 2, 14: *τῷ δὲ δημοτικῷ πλήθει τρία ταῦτα ἐπέτρεψεν, ἀρχαιρεσιάζειν τε καὶ νόμους ἐπικυροῦν, καὶ περὶ πολέμου διαγινώσκειν, ὅταν ὁ βασιλεὺς ἐφῇ κτέ.*

2) Röm. Verf. und Gesch. I. p. 233—500.

3) Quod rex promittit, videtur respublica polliceri. *Serv.* ad. Aen. Virg. 2, 161. Cfr *Rubin.* I. p. 109 seqq.

4) Cfr *Cic.* de Rep. 2, 8, 14. *Liv.* 1, 30.

5) *Cic.* de Rep. 2, 12, 23: — ille Romuli Senatus, qui constabat ex optimatibus, quibus ipse rex tantum tribuisset, ut eos patres vellet nominari patriciosque eorum liberos —. Occurrunt fere eadem apud *Livium* 1, 8 (extr.).

6) Eam rerum mutationem, qua reges Roma ejecti sunt, studio atque operae Patriciorum deberi, verisimillimum est. *Dionys.* 4, 63: *ἐπιθεμένων αὐτῷ τῶν πατρικίων, καὶ τοῦ δήμου συμφρονήσαντος, ἐξέπεσε τῆς δυναστείας.* Cfr *Schwegl.* R. G. II. p. 74. *Lange.* R. A. I. p. 420.

7) 2, 1.

mine digna est — *originem inde magis quia annuum imperinm consulare factum erat, quam quod deminutum quicquam esset ex regia potestate, numerandam esse.* Omnia regum jura, omnia insignia primos consules tenuisse, memoriae tradit. Quid multa? Si quis quaerat, quid emolumenti ista rerum mutatio Plebejis attulerit, breviter respondere possumus: duos, eosque e patricia gente, pro uno reges et tot dominos quot senatores.

His paucis de *universo Plebejorum in republica statu* allatis, videamus, qualis fuerit eorum *in domesticis rebus et privatis* fortuna.

Proximo post reges exactos tempore, dum Tarquinius in vita manebat, patres, metuentes, ne rediret regnumque recuperaret, omni ratione plebis animos sibi conciliare conabantur, ob eamque rem multa, ut dicit Livius [1]), blandimenta plebi per id tempus a senatu data sunt. Postquam vero Romam nuntiatum est, Tarquinium mortuum esse, tum patres, omni metu liberati, insolentius se gerere plebique, quae tunc demum comperiebat, qualem nacta esset libertatem, injurias facere coeperunt [2]). Crescunt in dies iniquitas et violentia patrum, crescunt miseriae plebis, et, si Livio credendum est, quindecim circiter annorum spatio post eam, quam diximus, rerum mutationem usque eo, velut pestis, proruperat malum, ut nullis jam remediis reprimi posse videretur. Ab hostibus foris, domi a creditoribus vexati, quum invenire non possent, quo pacto ex malis emergerent, Plebeji, de rebus suis desperantes, urbem deserere statuebant.

Quae fuerit eorum ante primam in montem Sacrum secessionem in rebus domesticis conditio, indicat apud Livium [3]) Tit. Lartius his verbis: *totam*

1) 2, 9. 2) Vide *Liv.* l. l. *Sallust.* ap. *Augustin.* de Civ. Dei lib. 2 cap. 18 (quod totum perlegas, velim): Dein (regibus exactis) servili imperio patres plebem exercere, de vita atque tergo regio more consulere, agro pellere, et caeteris expertibus soli in imperio agere. 3) 2, 29.

plebem aere alieno demersam esse; nec sisti posse, ni omnibus consulatur. Quod quo facilius intelligatur, breviter quaeramus, quibus de causis factum sit, ut Plebeji in tantas miserias incidere possent.

Primam hujus rei et ultimam quasi originem in *universo* eorum *civili statu*, jam supra probare conati sumus. Nam quum tota fere reipublicae administratio penes Patricios esset [1]), non sane erat mirandum, si Plebeji saepe ex eorum arbitrio omnino regerentur. Erant autem Patricii, id quod ex multis locis apud veteres rerum scriptores apparet, omnino avarissimi, et naturali quadam res suas augendi cupiditate omnia, quaecunque poterant, in suum ipsorum commodum vertere conabantur. Posse ejusmodi conatus prospere succedere, facile est ad intelligendum, eo praesertim tempore, quum Plebejorum sine dubio maxima pars non modo nullam resistendi haberet potestatem sed, juris ignorantia, vix sciret, quo modo quibusve rationibus se suasque res defendere posset [2]). Quod tamen non ita dictum volumus, ut contendere videamur, Patricios, ea avaritia ductos, more latronum in bona Plebejorum remque familiarem invasisse.

Sed quaeri certe tum jure potest, quo modo Plebeji in tantas miserias tantamque paupertatem vel potius egestatem incidere potuerint, si constat profecto, fuisse eos maximam partem fundorum posses-

---

1) *Schwegler.* R. G. II. p. 206: — am Regiment hatte sie (die Plebs) keinen Theil; sie hatte nur zu gehorchen. — Non multum sane antiquis temporibus valebant Plebejorum in comitiis suffragia, quia sine senatus patrumque auctoritate non rata habebantur. (Vide quae de ha re idem *Schwegler* copiosissime disputat II. p. 102, 147 seqq. etiam p. 640). Patricios in centuriatis comitiis nonnumquam etiam per Clientium suffragia multum valuisse, ex Livii quisbusdam locis (2, 56. 2, 64.) videre possumus. Cfr *Lange.* R. Alterth. I. p. 191. Aliter de hac re judicat *Peter.* (Epochen der Röm. Republik), quem vide p. 25.

2) *Liv.* 4, 3: Non ad fastos, non ad commentarios pontificum admittimur (nomine Plebejorum loquitur Canulejus). Cfr 9, 46.

sores, quum praesertim credibile non sit, eo tempore fuisse quemquam possessionibus suis privatis expulsum [1]).

Hac in re explicanda primum quaerendum esse putamus, qui agri modus *minimus* existimandus sit fuisse eorum, qui ex illa Servii Tullii institutione *locupletes* vel *assidui* [2]) appellarentur. Assiduos autem vel locupletes fuisse plurimos de plebe homines, videre possumus vel maxime ex eo, quod stipendia faciebant, quum ii contra, qui *proletarii* [3]) nominabantur — fabrum, cornicinum tubicinumque centuriis fortasse exceptis — antiquis temporibus militia immunes essent [4]). Sunt autem, qui putant [5]), singula agri jugera tantidem fere quanti assium quinque millia fuisse. Quae sententia si vera est — neque enim quicquam de hac re pro certo statui potest — tum eorum, qui primae civium classi adscripti essent, viginti jugera minimus fuerit agri modus necesse est, ob eamque rem nemo, nisi qui duo saltem jugera possideret, assiduus vel locuples appellari poterat. Sed, etiam si sumamus, hunc agri modum [6]) non solum fuisse minimum, quem assiduus quidem possidere debebat, sed multos de plebe homines etiam paulo majorem habuisse, tamen jure dubitare possumus, num Plebeji tantum habuerint agri, quantum ad dominos cum magna saepe familia alendos satis fuerit, eo praesertim tempore, quum ex nulla fere alia re ea, quae ad vitam sustentandam essent necessaria, quaerere possent, nisi ex fructibus, quos in suo quisque

1) Cfr *Mommsen.* R. G. I. p. 75.

2) Ab aere dando nominati. *Cic.* de Rep. 2, 22, 40.

3) Quam significationem habeat hoc vocabulum, vide *Cic.* de Rep. l. l. *Gell.* N. A. 16, 10.

4) Vide *Liv.* 1, 43.

5) Vide *Schweglerum*, R. G. I. p. 750. adn. 1).

6) *Varro* R. R. 1, 10, 1: Jugerum, quod quadratos duos actus habeat. Actus quadratus, qui et latus est pedes centum et viginti, et longus totidem.

agro colendo perciperet. Mercatura enim et fabrili opera quaestum facere non satis liberale habebatur, ob eamque rem sine dubio ii perpauci erant, qui huic quaestus generi operam darent, quo fiebat, ut diu apud Romanos ejusmodi artificia et omnino artes operosae, quae vocabantur, quasi inculta jacerent. Quod si verisimile est, fundos illos, in quos ager, quem Plebeji possidebant, erat divisus, tam parvos fuisse, ut vix dominis cum liberis ceteraque familia victum praebere possent, facile est ad intelligendum, eosdem multo minus ad res necessarias suppeditandas suffecisse, quum numerus Plebejorum mirum quantum non modo auctus, sed etiam variis modis multiplicatus fuisset. Jure autem dicere possumus, pro multitudine hominum agrum Plebejorum non auctum fuisse; quibus ex omnibus exorirentur paupertas atque inopia necesse erat. Erant praeterea fundi, quos cives Romani possidebant, plerumque heredia, quae antiquo more nemini nisi heredi tradi poterant [1]), et, si pater quidam familias plures habebat filios, tum ii, nulla bonorum divisione facta, praedium a patre relictum commune saepe habebant; qui mos diu apud Romanos retentus est. Narrat enim Valerius Maximus [2]), sedecim eodem tempore Aelios fuisse, "*quibus una domuncula erat*", et unum in agro Vejente fundum, "minus multos cultores desiderantem quam dominos habebat."

Possessio autem agri publici, quem totum ad se Patricii rapuerant [3]), nondum Plebejis consessa erat [4]).

---

1) *Varro* R. R. 1, 10, 2. Cfr *Cic.* de Orat. 2, 55. 2) 4, 4, 8.

3) *Arguebantur patres agros publicos per injuriam possidere, vi tenere (Liv.* 4, 51), *injusti domini agri publici esse* (4, 53), *in possessionem agri publici grassari* (6, 5), similiaque.

4) »*Bis zu den licinischen Gesetzen, die auch diesem patricischen Vorrecht ein Ende gemacht haben, war das gemeine Feld in ihrem Alleinbesitz. Schwegler*, R. G. II. p. 448.

Cfr *Liv.* 4, 51.

Quod si hoc vel illo modo particulam quandam hujus agri adepti essent de plebe homines [1]), post reges exactos mox a Patriciis ea possessione expulsi fuisse videntur. Spectat id sine dubio Sallustius [2]), cum dicit, *patres*, regibus exactis, *plebem agro pellere coepisse.*

Poterant quidem ii Plebeji, quibus heredium paternum ad usus vitae necessarios non satis esset, in partem venire coloniarum, quas saepe in agros, ab hostibus captos, Romani deducere solebant. Sed plerumque istae coloniae sic erant idoneis in locis contra suspicionem periculi collocatae, ut quasi specula populi Romani ac propugnacula imperii iis nationibus, a quibus seditio aut bellum esset timendum, oppositae viderentur. Tales igitur migrationes, praeterquam quod omnis a necessariis et propinquis discessus semper tristis est et acerbus, praeterea molestiarum et periculorum plenae erant, ob eamque rem non est mirandum, si nonnumquam factum est, ut qui, nisi maxima necessitate coacti, nomina darent non facile invenirentur, quia *in stationem se prope perpetuam infestae regionis, non in agros mitti rebantur* [3]).

Quod si ex iis, quae jam diximus, jure quodammodo concludi potest, verisimillimum esse, Plebejos antiquis temporibus agris non modo non abundasse, sed saepe ne tantum quidem, quantum ad vitam sustentandam esset necessarium, habuisse, facile intelligere possumus, in ea re unam causam paupertatis, eandemque gravissimam, quaerendam esse, praesertim quum ii, qui locupletes vel assidui essent, haud parvis *oneribus* premerentur. Tota enim tri-

1) Narrat Cicero (de Rep. 2, 14, 26), jam a Numa rege agrum, ex hostibus captum, viritim civibus divisum fuisse. Cfr *Liv.* 1, 46.

2) Apud *Augustin.* de Civ. D. 2, 18, 1.

Cfr *Cass. Hemin.* ap. *Non.* p. 149: *Quicunque propter plebitatem agro publico ejecti sunt. Schwegl.* R. G. II. p. 213.

3) *Liv.* 10, 21. Cfr 3, 1, cet.

butorum imponendorum ratio ita erat comparata, ut ad eos, qui fundos haberent, opprimendos multum sine dubio valeret. Pendebatur enim tributum *ex censu* vel, ut dicit Varro [1]), *pro portione census exigebatur*. Sed res tantum corporeae [2]), quae dicuntur, censeri solebant, nulla pecuniarum sive creditarum sive debitarum ratione habita [3]) — id quod etiam ex eo apparet, quod ii, qui ob aes alienum nexi erant, stipendia merere poterant — [4]), quo fiebat, ut Patricii, quorum divitiae sine dubio maximam ad partem ex agri publici possessionibus et pecuniis creditis constabant, levissimum pro iis, quae re vera habebant, tributum solverent. Ager enim publicus censui censendo non erat [5]).

Hanc tributorum exigendorum rationem Plebejis iniquissimam fuisse, nemo facile negaverit, quum satis constet, totam fere eorum rem familiarem contineri praediolis, quae nonnumquam propter aes alienum etiam oppignerata erant. Neque est mirandum, si haec tributa, etiam si, dum vigebat pristina illa simplex reipublicae administrandae ratio, parva erant, nihilo minus iis, qui penderent, gravissima fuerunt. Ea enim adhuc est, id quod etiam in nostra patria videmus, rusticorum conditio, ut, quamvis iis rebus,

1) L. L. 5, 49 (ed Spengel.). Quantum pro sua quisque re tributum solverit antiquis temporibus, pro certo statui non potest, id quod in ipsa rerum natura positum est, quum, prout res postulabat, augeretur vel minueretur.

2) Ad quas pecuniae numeratae sunt referendae, auctore *Cicerone* de Leg. 3, 3: *Censores populi aevitatis, subolis, familias, pecuniasque censento.*

3) Vide *Niebuhr.* Vort. ü. R. G. I. p. 181. *Schwegler.* R. G. II. p. 210. *Lange.,* R. Alt. I. p. 361. Cfr *Liv.* 6, 27.

4) *Liv.* 2, 24 et passim.

5) *Censui censendo agri proprie appellantur, qui et emi et venire jure civili possunt. Fest. (Paul. Diac.)* p. 58, ad quem locum *Muellerus*: Censui censendo non erant, nisi quae quis ex jure Quiritium sua dicere poterat.

quae ad victum cultumque pertineant, paene abundent, tamen saepe in summa sint pecuniarum inopia, quo fit, ut non sine magno negotio, quae debeant, numerato solvere possint. Eam autem pecuniarum inopiam antiquis temporibus etiam majorem fuisse, ex eo concludere jure quodam possumus, quod mercatura et omnino artes sordidae, quae vocabantur, parum quasi excultae erant.

uae quum ita sint, verisimillimum est, Plebejorum non paucos etiam tributorum solvendorum causa saepe fuisse coactos aes facere alienum, quod multis modis nimium quantum augebatur. Accessit, quod, si quis ob aeris alieni magnitudinem, usum fundi sui et fructum creditori concessisset, nihilo minus ipse tributa ex illius fundi aestimatione solvere debebat [1]). Omnes enim qui censi erant [2]), tributa pendere debebant. Nemo autem, nisi qui census erat, militiam facere poterat [3]). Sed ex iis, quae de hac re narrat Livius [4]) evidentissime apparet, homines, ob aes alienum nexos, stipendia facere posse, unde efficitur, debere etiam eosdem solvere tributa.

Ad illas per se satis magnas aeris faciendi causas accesserunt etiam prope perpetua cum finitimis populis bella, quibus Plebeji imprimis gravissime premebantur. Sunt enim omnino bella, id quod in ipsa rerum natura positum esse videtur, cum reipublicae tum privatis saepe vix tolerabilia, semper molesta. Quod si hoc de universa bellorum natura merito dici potest, facile est ad intelligendum, quantam

---

1) Vide *Schwegler*. R. G. II. p. 210.

2) Iis, qui capite censi erant, exceptis.

3) Vide quod de hac re disputat *Gellius* N. A. 16, 10.

Cfr *Sallust*. Bell. Jug. cap. 86: Ipse (Marius) interea milites scribere, non more majorum, neque ex classibus, sed uti cujusque lubido erat, capite censos plerosque.

4) e. g. 2, 24: Hoc proposito edicto, et qui aderant nexi profiteri extemplo nomina; et — — —. Magna ea manus fuit.

vim eadem ad fortunas Plebejorum affligendas [1]) habuerint. Ita enim erat res Romanorum militaris instituta, ut antiquis temporibus omnes, quorum erat stipendia facere, de suo quisque [2]) militiae munere fungerentur, quo fiebat, ut haud parvas etiam in hanc rem impensas privati facere cogerentur. Sed ut praetereamus ipsos bellorum apparatus, qui eo tempore sine dubio simplicissimi fuerunt, jam id satis magnum erat incommodum, quod homines iniquo saepe tempore ab agris suis colendis avocabantur, quum praesertim, ut diximus, ex nulla fere alia re, nisi ex agrorum fructibus [3]), ea, quae ad vitam sustentandam esset necessaria, haberent. Et, etiam si Romani, singulari et eximia fortitudine excellentes, plerumque e bellis superiores discedebant et ab hostibus victoriam reportabant, tamen, id quod minime est mirandum, non raro accidebat, ut agri etiam ipsorum vastarentur.

Sed, dixerit fortasse quispiam, bella communia erant onera, quae toto populo Romano, et Patriciis et Plebejis, essent ferenda, et ob eam rem non facile intelligi potest, quare his magis quam illis fuerint molesta. Ad ea respondemus, bella quidem communia omnibus civibus fuisse onera, et id tantum monere volumus, omnem oneris cujusdam gravitatem et pondus viribus ejus, qui ferat, esse metienda. Nam quod infirmo cuidam homini grave est, id ei, qui plus habeat virium, saepe est leve. Ac longe alia erat in rebus domesticis Patriciorum et Plebejorum

1) Non obliviscendum est, bellum illud, quod paulo post reges exactos cum Porsenna gerebatur, Plebejis molestissimum fuisse. Cfr etiam *Sallustii* illud (ap. *Augustin.* 2, 18): Quibus saevitiis et maxime foenore oppressa plebs, cum assiduis bellis tributum et simul militiam toleraret, armata montem Sacrum atque Aventinum insedit.

2) Traditum est (*Liv.* 4, 59), aes militare anno circiter 405 A. U. C. militibus primum datum fuisse.

3) Cfr *Cic.* de Rep. 2, 9, 16.

conditio. Illi enim multos sine dubio habebant servos [1]), qui, etiam quum ipsi militiae causa abessent, agros colere possent; hi autem, id quod maxime videtur probabile, ipsi omnia sine adjutoribus curabant negotia, quae ad agriculturam pertinebant, quo facile fieri poterat, ut, praesertim si diutius abessent, agri eorum saepe uon colerentur.

Sed alia etiam est causa, cur jure dici possint bella Plebejis magis quam Patriciis fuisse molesta. Nam Plebeji, si quando agri eorum hoc vel illo modo vastati essent, non sine summa difficultate eosdem in statum, quo ante fuerant, restituere poterant. Primum enim, quum agrorum fructibus carerent, nihil fere habebant, quo se alere possent; deinde haud parvae pecuniae etiam ad agros iterum instruendos opus erant. Nam maxime est probabile, hostes saepe pecus, quod ad agros colendos esset necessarium, abegisse, tecta incendisse, agrorum instrumenta ceteraque abstulisse [2]), quibus ex omnibus fiebat, ut multi de plebe homines post bella, etiam felicissime gesta, in summam omnium rerum inopiam inciderent, praesertim quum saepe antiquis temporibus nullam in praedis partem haberent [3]).

Sed in explicandis causis, quibus res Plebejorum affligebantur, praeter ea, quae jam attulimus, etiam *fenus* est considerandum. Si enim patet, talem fuisse eorum in domesticis rebus conditionem, ut aes alienum facere saepe cogerentur, non alienum est hoc loco breviter quaerere, quanto fenore antiquis temporibus pecuniae occupari solitae sint. Sed perobscura est haec quaestio et perdifficilis, quia nulla

---

1) Non a vero abhorrere videtur, Clientibus agrorum partes a Patriciis frumento locatas fuisse. Vide *Schwegler*. R. G. I. p. 641.

2) Vide *Liv*. 2, 23. *Dionys*. 6, 22.

3) *Liv*. 2, 24: Patres militarent, patres arma capere, ut penes eosdem pericula belli, penes quos praemia essent.

de fenoris magnitudine ante *duodecim tabularum leges* monumenta litterarum exstant. *Nam* — *Taciti* [1]) haec verba sunt — *primo duodecim tabulis sanctum, ne quis unciario fenore amplius exerceret, quumantea ex libidine locupletium agitaretur.* Multo grandius ante id tempus fenus in usu fuisse, cum ex aliis rebus tum ex eo apparet, quod, *Livio* [2]) auctore, patribus *haud laeta* erat illa de unciario fenore rogatio, quam plebs *aliquanto cupidius scivit accepitque.* Sed quid sit illud fenus unciarium, non satis constat. Dissentiunt enim inter se de hac re doctissimi viri. Putant nonnulli [3]), fenus unciarium esse, cum pro centenis assibus in singulis mensibus [4]) usurae loco uncia, id est, duodecima assis pars, vel, quod idem est, quum quotannis unus as pro centenis datur. Si haec sententia vera est, tum nos quidem intelligere non possumus, quibus causis fieri potuerit, ut pecuniae tam parvo fenore occuparentur, eo praesertim tempore, quo sine dubio magna erat pecuniarum inopia. Dicit praeterea Livius [5]), jam anno septimo et quadringentesimo (A. U. C.) fenus iterum minutum fuisse, ita ut semiunciarium ex unciario fieret. Verisimile igitur est, *unciarium* illud alium, atque isti volunt, fenoris modum significare. Ac nescimus sane, unde habeant illud *pro centenis.* Tam late enim patet assis vocabulum, ut non modo certum quendam numerum, sed etiam totam rem, de qua quaestio est, significet. Fenus igitur unciarium ita interpretari possumus, ut sit totius sortis duodecima pars, id quod nobis maxime probabile videtur.

---

1) Ann. 6, 16. 2) 7, 16.

3) *Klotzius, Otto, Nipperdejus, Ernestius* (ad Tac. Ann. 6, 16), *Lemarius, Wimmercrantz.* (ad. Liv. 7, 16), alii.

4) Menstruum fuisse fenus apud Romanos, putant *Lemarius, Nipperdejus, Otto* (l. l.) aliique. Cfr *Dillenburger.* ad Hor. Ep. 2, 70. *Halmium* ad Cic. Cat. 1, 6, 14. Vide etiam *Hor.* Sat. 1, 3. 87.

5) 7, 27.

Sed etiam haec sententia magnam habet difficultatem. Si enim duodecima pars totius sortis in singulis mensibus usurae loco penderetur, tum quotannis fenus sortem aequaret. Qui fenoris modus, etsi cum iis, quae de aeris alieni magnitudine odioque feneratorum tradita sunt, bene congruit, tamen major fuisse videtur, quam ut legibus permitti posset. Credibile igitur est, debitores antiquis temporibus annuam, non menstruam, usuram pendere solitos esse, ita ut sit fenus unciarium, cum quotannis decem pro centenis solvuntur [1]).

Quod si pro certo statui non potest, quantum fenus ante duodecim tabularum leges in usu fuerit, tamen cum ex eo, quod de unciario fenore attulimus, tum ex aliis multis evidentissime patet, magnum idem et iniquissimum fuisse.

Accessit, quod usurae, si justo tempore non solutae erant, sorti adjiciebantur, quo fiebat, ut novum semper exoriretur caput, quod ejusmodi anatocismo nimium quantum augebatur.

Sunt multa ejus rei exempla, e quibus unum attulisse satis erit. Dicit enim centurio ille [2]), quem M. Manlius e vinculis servavit, *se militantem, multiplice jam sorte exsoluta, mergentibus sempersortem usuris, obrutum fenore fuisse*, et alius centurio queritur [3]), aes alienum, quod fecerat, *usuris fuisse cumulatum*.

Hoc loco id quoque non in praeteritis est relinquendum, quod, si quis cum quo contra legem rem quandam contraxisset, non irrita ea res habebatur. Poterat igitur creditor, qui grandiore, quam

1) Hanc sententiam defendunt *Niebuhrius* (Vortr. üb. R. G. I. p. 390), *Schwegler* (R. G. II. p. 214), *Mommsenius* (R. G. I. p. 143), *Weissenbornius, Crusius, Alschefskius* (ad Liv. 7, 16), alii.

2) *Liv.* 6, 14.

3) *Liv.* 2, 23.

licitum erat, fenore pecuniam occupasset, etiam lege agere, si debitor id, quod contra legem cum creditore pactus esset, solvere recusaret. Id tantum creditori erat timendum, ne ipse quadruplo condemnaretur [1]).

His paucis de fenore allatis, restat, ut breviter etiam quaeramus, quo modo ii, qui solvendo non essent, a creditoribus sint tractati. Videamus igitur, quid de *nexis* [2]), ut vocabantur, legibus duodecim tabularum sanctum sit. Nulla enim lex de ea re vetustior exstat; obaeratorumque conditionem antea non meliorem fuisse [3]) ex iis, quae Livius aliiqua memoriae produnt, luculentissime apparet.

Concedebant illae leges creditoribus magnam sane in debitores potestatem. Nam si quis aes suum alienum solvere non posset, a creditore etiam in vincula abduci poterat, quod ita fere fiebat [4]): Primum debitores, si die constituta non solvissent, in jus vocabantur, ut aut debitum confiterentur aut, si recusarent, petitionem creditorum irritam facerent. Si confitebantur, dies iis triginta, pecuniae conquirendae causa, dabantur, quibus nihil cum iis agi jure posset [5]) Deinde vero, his diebus praeteritis, si aes alienum nondum solutum esset, manus iis injicere licitum erat Tum duci solebant ad praetorem, a quo addicebantur creditoribus, qui eos, nisi statim solverent aut vindicem darent, non modo secum ducere, sed etiam nervo aut compedibus vincire pote-

1) *Puchta,* Curs. der Inst. III. p. 29. Lex erat: *Si qui unciario fenere amplius feneraSit, quadruplione luito.*

2) De vi et significatione *nexi* disputaverunt multi, quos nominat Schwegler, R. G. II. p. 216. Vide etiam Mommsen, R. G. I. p. 142. Cfr *Heineccium,* Antiquit. Rom. syntagma p. 370.

3) *Scheurl,* vom Nexum p. 25: *Was früher nur die Sitte gebot ward durch die Zwölf Tafeln Gesetz.*

4) Vide Gell. N. A. 20, 1.

5) Vide *Gaii* Institut. Comment. 4, 21.

rant [1]). *Erant autem* — *Gellii* verbis utimur — *jus interea paciscendi, ac nisi pacti forent, habebantur in vinculis dies sexaginta. Inter eos dies, trinis nundinis continuis, ad Praetorem in Comitium producebantur, quantaeque pecuniae judicati essent, praedicabatur* [2]) *Tertiis autem nundinis capite poenas dabant, aut trans Tiberim peregre venum ibant* [3]). Dum in vinculis tenebantur, in ipsorum arbitrio positum erat, de suone vivere, an a creditoribus ali mallent. Si hoc eligerent, tum in quotidianum victum singulas libras farris dari oportebat [4]) Ad hanc legis acerbitatem accedebat etiam, quod creditores non modo in patrem familias, sed etiam in liberos ejus nepotesque jure nexi uti poterant [5]).

Sunt sine dubio multi, qui hanc legem crudelissimam judicent, eandemque immanem magis et barbarum quam humanum populum atque optimis artibus ornatum decuisse putent. Non repugnabimus. Illud tantum monendum putamus, Romanos, qui nihil fide antiquius habebant, in legibus constituendis id maxime spectasse, ut vigerent industria et parsi-

---

1) Lex erat: *Aeris confeSi rebusque iure iudicatis XXX dies iusti sunto. Post deinde manus iniectio esto, in ius ducito. Ni iudicatum facit, aut quips endo em iure vindicit, aut nervo aut compedibus XV pondo ne maiore: at si volet minore, vincito.*

2) Lex hæc: *Ni cum eo pacit, LX dies endo vinculis retineto. Interibi trinis nundinis continuis in Comitium procitato, ærisque æstimiam iudicati prædicato.*

3) Legis verba sunt: *Ast si plures erunt, rei tertIs nundinis partis secanto: Si plus minusve secuerunt, se fraudEsto: Si volent, uls Tiberim peregre venum danto.* Sunt qui (*Cæcilius* ap. Gellium (20, 1), *Quintilianus* (Inst. Orat. 3, 6, 84), *Momms.* (R. G. I. p. 144), alii (legem ita interpretantur, ut corporum, alii autem, ut bonorum sectionem significet. Vide *Heinecc.* p. 609.

4) Lex erat: *Si volet, suo VIto: ni suo VIt qui em vinctum habebit, libras faRis endo dies dato: si volet, plus dato.*

5) Vide *Liv.* 2, 24. 8, 28. Cfr *Dionys.* 6, 26.

monia, reprimeretur luxuria. Sed hanc rem, etsi plena est jucunditatis, quia a nostra quaestione paulo alienior est, hoc tempore omittamus.

Quid legibus esset statutum de iis, qui solvendo non essent, jam vidimus. Fuisse eosdem saepe a creditoribus aspere tractatos, facile est ad intelligendum, quum queri possent, ductos se non in servitium sed in ergastulum et carnificinam fuisse. [1])

His igitur omnibus ex rebus apparere videtur, quod ostendere nobis propositum erat, quae fuerit ante primam in montem Sacrum secessionem Plebejorum Romanorum cum in publicis rebus tum in privatis conditio.

---

1) Liv. 2, 23. Cfr 6, 36. 8, 28. Dionys. 5, 53.